

**USR LOMBARDIA - CUSL (Consulta Universitaria di Studi Latini)**  
**Certificazione delle Competenze della Lingua Latina 2024 - Livello B2**

*De Caligulae facetiis*

**Summarium**

Notae sunt plurimae C. Caesaris, qui vulgo Caligula appellatur, facetiae, quas tamen non omnes qui eas audierunt, vel etiam nunc audiunt, adprobare possunt.

1	Inter varios eius iocos, cum, adsistens simulacro Iovis, Apellem tragoedum
2	consuluisset uter illi maior videretur, cunctantem fustigari iussit, conlaudans subinde
3	vocem deprecantis quasi etiam in gemitu praedulcem. Quotiens Caesoniae, uxoris
4	suae, vel cuiusdam amiculae collum oscularetur, addebat: “Tam bona cervix simul ac
5	iussero demetur”. Nullus tam abiectae condicionis tamque extremae sortis fuit, cuius
6	commodis non obtrectaret. Cum quodam die muneric gladiatori Porio post prosperam
7	pugnam servum manumittenti studiosius plausum esset, ita proripuit se spectaculis,
8	ut calcata toga praeceps iret, indignabundus et clamitans dominum gentium populum
9	plus honoris gladiatori tribuentem quam consecratis principibus aut praesenti
10	sibi. Pulchros et comatos, quotiens sibi occurserent, capite raso deturpabat. Erat
11	Proculus quidam, ob egregiam corporis amplitudinem et speciem “Colossus” dictus;
12	hunc, spectaculis detractum repente et in harenam deductum, duobus gladiatoribus
13	comparavit bisque victorem statim iugulari iussit.

### **01 Elige quid tibi verum videatur**

- ..... Caligula et Apelles iuxta sedebant apud aliquam Iovis imaginem
- ..... Caligula et Apelles adstabant prope statuam alicuius dei, in aede Iovi dicata
- ..... Caligula et Apelles tragoediam aliquam in aede Iovi dicata adspectabant
- ..... Caligula et Apelles tragoediam de Iove in aliquo theatro adspectabant

### **02 Elige quid tibi verum videatur**

Caligula Apellem consuluit. In hac sententia *consulere* (l. 2 *consuluisset*) significat:

- ..... deliberare
- ..... interrogare
- ..... monēre
- ..... petere

### **03 Elige quid tibi verum videatur**

Caligula se Iovem antecellere putabat.

**Verum.....**

**Falsum....**

### **04 Elige quid tibi verum videatur**

Caligula irascitur quia Apelles diutius in silentio permanserat.

**Verum.....**

**Falsum....**

### **05 Elige quid tibi verum videatur**

- ..... Apelles, qui numquam ploraverat quamvis multo dolore afficeretur, a Caligula occisus est
- ..... Apelles, qui multum ploraverat propter dolorem, Caligulae deridiculo erat
- ..... Apelles, qui multum ploraverat quamvis a nullo dolore afficeretur, risum Caligulae movit
- ..... Apelles, qui numquam ploraverat propter dolorem, Caligulam irridebat

### **06 Elige quid tibi verum videatur**

Caligula nulli parcebat, ne uxori quidem suaे, quam minis persaepe terrificabat.

**Verum.....**

**Falsum....**

### **07 Elige quid tibi verum videatur**

Caligula adfirmabat se capita facile demere posse (ll. 4-5). *Demere* in hac sententia significat:

- ..... abscindere
- ..... cadere
- ..... deferre
- ..... extollere

### **08 Elige quid tibi verum videatur**

Caligula civium commoda in malam partem accipiebat. In hac sententia (l. 6 *commodis obtrectabat*), *commoda* significat:

- ..... bona et opportunitates

- ..... liberi et uxores
- ..... praemia et mercedes
- ..... virtutes et ingenia

**09 Elige quid tibi verum videatur**

Propter Caligulae crudelitatem, nullus civis, ne abiectae quidem condicionis, salvus sibi videbatur (ll. 5-6). In hac sententia, *abiecta* significat:

- ..... gloria
- ..... humilis
- ..... nobilis
- ..... scelestus

**10 Elige quid tibi verum videatur**

- ..... Caligula indignatus est, quia Porius libertatem servo suo donaverat
- ..... Caligula indignatus est, quia Porius servum pluris faciebat quam principem
- ..... Caligula indignatus est, quia servus principis a Porio manu missus erat
- ..... Caligula indignatus est quia Porius pluris aestimabatur quam princeps

**11 Elige quid tibi verum videatur**

Porio a populo studiosius plaudebatur (ll. 6-7). In hac sententia, *studiosius* significat:

- ..... considerate
- ..... diligenter
- ..... nimium
- ..... sollicite

**12 Elige quid tibi verum videatur**

Caligula indignabundus in harenam se proiecit.

**Verum.....**                    **Falsum....**

**13 Elige quid tibi verum videatur**

Tanta festinatione Caligula se proiecit, ut deridiculo lapsus sit.

**Verum.....**                    **Falsum....**

**14 Elige quid tibi verum videatur**

Cum de iniuria *consecratis principibus* allata Caligula queritur (ll. 8-10), de se ipso cogitat.

**Verum.....**                    **Falsum....**

**15 Elige quid tibi verum videatur**

Romani videntur plus honoris tribuere gladiatori cuidam quam principi. In hac sententia, *tribuere* (l. 9 *tribuentem*) significat:

- ..... pendere
- ..... permittere
- ..... praebēre
- ..... solvere

**16 Elige quid tibi verum videatur**

Instrumenta tonsoria vel ipsi Caligulae vel servis eius semper prompta esse videbantur.

**Verum.....**

**Falsum....**

**17 Elige quid tibi verum videatur**

Proculus et Porius ambo gladiatores erant.

**Verum.....**

**Falsum....**

**18 Elige quid tibi verum videatur**

Iussu Caligulae, Proculus in harenam repente deductus est. In hac sententia, *repente* (l. 12) significat:

- .....acriter
- .....improvide
- .....improviso
- .....raptim

**19 Elige quid tibi verum videatur**

Caligula Proculum duobus gladiatoribus comparavit (ll. 12-13), id est:

- .....Proculus propter formam et magnitudinem suam contra illos iussus est pugnare
- .....Proculus propter formam et magnitudinem suam illis adhibitus est
- .....Proculus illis propter formam et magnitudinem suam aequiparatus est
- .....Proculus propter formam et magnitudinem suam inter illos tertius adpositus est ad certamina gladiatoria

**20 Elige quid tibi verum videatur**

Victos gladiatores Caligula iugulari iussit.

**Verum.....**

**Falsum....**

**21 Hic est auctoris verborum paraphrasis. In proxima exercitatione iunge numerum verbo (omnia vocabula addenda sunt)**

Caium Caesarem constat facetiis iocisque valde delectari. Olim, cum Apellem poetam ante Iovis signum convenisset, eum .....**01**..... utrum se an Iovem maiorem faceret, sed quia ille .....**02**..... quid sibi respondendum esset, illum verberari iussit et dum ille sine modo eiulat, eius vocem .....**03**....., in qua aliquid dulce inesse sibi videbatur. Saepe osculans Caesoniae uxoris cervicem, vel alicuius amicae, hoc .....**04**.....: tam pulchram gulam, si iussisset, statim secandam esse. Nemo tam miser atque infelix fuit, cuius utilitatibus non invideret. Olim inter munus gladiatorium maximos plausus Porio gladiatori spectatores tribuebant, qui post victoriam servum quendam manumiserat. Tunc Caius ex Circo tam imprudenter .....**05**..... ut togae impingens caderet, cum, ira et indignatione motus, vociferaretur a populo Romano gladiatori plus honoris tribui quam optimatibus atque principi ipsi, qui illic aderat. Homines forma vel coma conspicuos, qui sibi obvii essent, statim .....**06**..... Quidam, cui nomen Proculus erat, sed propter eximiam corporis magnitudinem et pulchritudinem “Colossus” nominatus, e gradibus subito eruptus et in harenam deiectus, cum duobus gladiatoriibus pugnare .....**07**..... Cum ambos ille vicisset, ut necaretur Caligula .....**08**.....

Coactus est	_____
Deformabat	_____
Haerebat	_____
Imperavit	_____
Laudabat	_____
Properavit	_____
Rogavit	_____
Subiciebat	_____

22 *Italice verte*

Opulentiore convivio, effusus subito in risum, consulibus qui iuxta cubabant quidnam rideret quaerentibus: "Quid," inquit, "nisi uno meo nutu iugulari utrumque vestrum statim posse?". Equestrem ordinem assidue contumeliis affecit. Infensus etiam turbae, olim exclamavit: "Utinam populus Romanus unam cervicem haberet!". Punito per errorem nominis alio quam quem destinaverat, ipsum quoque paria meruisse dixit. Tragicum illud dictum saepe iactabat: "Oderint, dum metuant". Et de uxore Caesonia iactabat se vel tormentis exquisitum cur eum tanto opere illa diligeret.

23 *Verba latina quae aptissima tibi videntur ut istae tabulae explicitur, adiunge; si fieri potest, verbis utere quae in prioribus textis inveniebantur*

